

D. IOANNIS DAVIDIS SCHOEPPF

AVGVSTISS. REGIS BORVSS. CONSIL. AVL. COLL. MED. ONOLD. PRAESID.

ACAD. IMP. NAT. CVR. ET SOC. BEROLINENS. NAT.

SCRVT. SODALIS


HISTORIA
TESTVDINVM

ICONIBVS ILLVSTRATA.

FASCICVLVS III. ET IV.

CONTINENTES

TABVLAS XI-XX. ET PLAGVLAS E-K.



ERLANGAE

SVMTIBVS IOANNIS IACOBI PALM

clō lō cc LXXXIII.

Cy

Tab. XV.

TESTUDO TERRAPIN.

Testa supera depresso, scutellis dorfi anterioribus carinatis,
margine laterali costato, postico crenato.

An: — The Terrapin, *Testudo quarta minima lacustris*, unguibus palmarum quinis, plantarum quaternis, testa depresso, ovali. *Brown*. Hist. nat. of Jamaica. pag. 466. n. 4.

Testudo palustris. *Linn*. Syst. nat. ed. *Gmel*. n. 23. p. 1041.

Terrapen, testa superiora planiuscula et ovata. *Cepede* pag. 229. et *Bonaterre* n. 26.

Testa superior oblonga, valde humilis, demissa et aequaliter convexa, lateribus disci utrinque planitie parum arcuata devexis; antice sinuata, margine laterali recto, postice ovata, crenata. Disci scutella XIII, circa areolam minimam profunde fulcata et late costata; costis anterioribus latioribus. Carina dorfi obtusa, ad scutellorum commissuras interrupta. Scutellum dorfi *primum*, subpentagonum; margo anterior latitudine tribus marginalibus scutellis respondens; obtuse carinatum; *secundum* et *tertium*, sexangula, latiora quam longa, marginibus (in adultioribus potissimum) repandis, angulisque anterioribus obtusis; carina, quam in priori, elevatior quidem, obtusa tamen, glabra et pone demissior; *quartum* simile prioribus, sed latius, declivius, ora postica flexuosa; *quintum* irregulariter pentagonum, planiusculum, cum levissimo tantum et valde humili carinae vestigio *).

Arcolae in junioribus testis scabro-punctatae, parvae, ab ipsa carina dorsali bipartitae, in majoribus testis fere oblitteratae.

Cari-

*) Praeter fulcos, quibus exarata sunt singula scutella, laevis est illorum reliqua superficies. In una tamen testarum, quas possideo, discus praeter parallelos et omnibus communes fulcos, vagis et intortis, quasi vermibus exesis, lineis distinguitur.

Carina scutellorum dorsalium quatuor anteriorum, elatior et distinctior, cum reliquae testae structura, characterem speciei haud spernendum praebere videtur.

Scutella disci lateralia IV utrinque; magis in planitiem vergentia quam in ulla alia specie; areola versus marginem posteriorem et medium magis locata, parvula, costis latioribus, fulcisque profundioribus circumscripta; *primum* figura irregulari subquadrata, margine infero latiori arcuato; *secundum* pentagonum et reliquis majus; *tertium* irregulariter et oblique pentagonum; quartum minimum et irregulariter quadratum.

Margo testae, ante sinuatus, dehinc aequali cum disco declivitate, ad latera rectus, pone ovatus, obtuse crenatus et scutellorum ora extrema magis minusve replicata undique costatus. Scutella XXV, subquadrangula, angusta, fulcata, declivitate dorso aequalia. Primum minimum, quadratum, acutum; tria utrinque proxima, margine extremo obtuso replicato; quinque lateralia superne angustissima, inferne autem gibbera, extrorsum tumida et dilatata, (tria cum primis intermedia,) connexa sunt cum sterni processibus, in hac specie altioribus; tria postica latiora paullo, margine acutiori, replicato tamen; duo ultima supra caudam, deorsum concava, adque futuram distinguentem emarginata.

Testae ut plurimum unicolores, sed fusco, lurido, cinereo variantes; in junioribus tamen (e quarum numero erat specimen depictum) dilutior et albido flavescens hinc inde color, ad scutellorum dorsalium et marginis ambitum in primis intercedit.

Sternum angustius et paullo brevius est quam supra testa; acute truncato sinuatum, pone emarginatum; planum est et firmum, multum et aequali spatio undique a scuto distans. Suturarum numero consumto in XII areas dissecitur. Suturae mediae transversales rectilineae. Alae sterni latae, altiores, oblique extrorsum sursumque flexae, mediante symphyssi utrasque testas arte et firmiter colligant. Color sterni aliis ex toto albus, aliis fuscus, vel (ut in specimine depicto) albus lineis nigris variegatus.

Testas coram habeo *quatuor*, quarum maxima poll. $6\frac{1}{2}$ longa, $4\frac{3}{4}$ lata; $1\frac{1}{2}$, ex margine scuti alta. — Specimen depictum erat poll. $4\frac{1}{2}$ longum, I poll.


poll. $3\frac{1}{4}$ latum, poll. 1., ex margine altum; alae sterni poll. $\frac{1}{2}$ altae, poll. 1. latae. Erit itaque altitudo scuti seu testae superae, ad ejusdem longitudinem, ut 1 ad 4.

Habitat in America septentrionali. Duas inde mecum adportavi testas; duas minores misit Rev. Henr. Mühlenberg *). *Terrapins* ibidem nuncupari solent, et hoc sub nomine in foris Philadelphiae, et alibi, venales prostant. Licet capitis et extremitatum cognitione destitutus, aquaticam esse speciem pro certo tamen scio, nam maxima, quam possideo, hujus speciei testa, ex animali in aquis subdulcibus Insulae Longae capto, depromta fuit.

An nova sit et non descripta species, nunc temporis injudicatum relinquo; quippe eandem esse cum Brownii Terrapin, l. c., facile crediderim; similitudo probabilis saltem, praeter nominum convenientiam, ob staturam minorem, testam depressam, ovalem, aliasque inter se convenientes condiciones. In aquis stagnantibus Terrapin habitare, in pratis vicium quaerere et ad 8 - 9 pollices (in Jamaica) crescere, dicit Browne, cui porro addit Cepede, „carnem fapidam esse et pro sana haberi.„

Nomen Terrapen pluribus imponi videtur speciebus, quippe T. clausa Terrapen quoque *Edwardo* audit, quam tamen ab illa *Brownii* diversam esse, jam pridem monuit Ill. Schneider in Hist. nat. Test. p. 335. —

*) In recentissime epistola, Reverend. Mühlenberg sequentia addit: „Habitat in aquis falsis; ad pedis magnitudinem interdum excrefcit. Pedes palmati; palmae 5, plantae 4. dactylae. Cauda brevis.„



Testudo Terrapin.